

tum ad dimittendam portionem suæ præbendæ pro absentibus habeantur, & reputentur. Constituti vero in sacris a sacerdotio infra dimittent in communi tertiam partem fructuum ut supra, & si tales assidue interfint horis canonicis, & diurnis servientes in ordine suo temporibus debitis admittantur ad distributionem obventionum quotidianarum secundum ordinationem infra scriptam. Canonici vero ætatis legitimæ ad ordinem Sacerdotalem suscipiendum infra annum a die adeptæ possessionis promoveri teneantur, & in sacerdotio deservire; alias pro absentibus reputentur.

VII. Item volumus, & ordinamus, quod fructus qui dimittuntur in communi per absentes, sive residentes, ut supra notatum est, distribuantur inter assidue deservientes, secundum quod distribui debent distributiones quotidianæ, & pro quotidianis distributionibus cum aliis obventionibus ex insperato contingentibus dispensentur.

VIII. Item volumus, & ordinamus, quod canonici, sive substituti, qui adscripti fuerint ad ipsas distributiones, & alias obventiones percipiendas teneantur celebrare missas, & alias horas canonicas nocturnas, & diurnas quotidie missas privatas secundum numerum adscriptorum dictæ servituti, ita quod si septem, vel octo saltem fuerint adscripti, quotidie celebrent ad minus missas quatuor; diebus vero festivis ad minus sex; missas vero, & alias horas, quæ hætenus cum nota consuetæ sunt celebrari, cum nota teneantur celebrare diebus consuetis.

IX. Item, cum secundum canonicas sanctiones non sufficiat Prælo ordinare, quæ faciendæ sunt, nisi puniat non facientem, volumus, & ordinamus, quod quædam constitutio ex nostris constitutionibus sinodalibus adscripta sub rubrica: de celebratione missarum, & divinorum officiorum, in totum observetur sub pœna in ipsa contenta, excepto, quod in eo, quod disponit matutinas, & alias horas canonicas, & missam conventualem dictam cum nota celebrari, toleramus certo bono respectu, quod sine nota, assidue tamen celebrentur, non recedentes a consuetudine hætenus observata de celebrandis cum nota; non interessentes vero ipsis horis, sive private, sive cum nota celebrandis incurrant pœnam dictæ constitutionis auctoritate nostra in præsentiarum dispensantes super divinarum missarum, & aliarum horarum cum nota celebratione: in aliis ipsam constitutionem auctoritate nostra roborantes.

X. Item si contingat aliquem descriptum servituti assidue causaliter infirmari durante infirmitate pro serviente, & interessente reputetur: similiter si aliquem contigerit pro negotiis suis se absentare, aliis servientibus exponat causam suam, & per dies tres dumtaxat reputetur deserviens sine pœna, aliter vero sit in arbitrio ordinarii, & aliorum servientium.

XI. Item ordinamus, & volumus, quod adscriptus servituti modo supra scripto non celebrans missam per se, vel alium die, & ordine vicis suæ incurrat diebus ferialibus pœnam solid. III., diebus vero festivis, & præcipue solemnibus incurrat pœnam sol. VI. irremissibiliter applicanda capsæ B. Guidonis.

XII. Constitutionem vero tempore nostro factam cum pœnis, & censuris in ea contentis nullam esse volumus.

XII. Cum secundum legales consuetudines majori dignitate præditi majori prærogativa gaudere debeant præsentibus ordinamus, ac decernimus, quod diebus Dominicis, & aliis festivis diebus præcipue solemnibus, nullus missam solemnem, & maxime ad altare majus possit celebrare, nisi sit Canonicus ipsius Ecclesiæ.

*Memoria pecuniæ convertendæ in utilitatem mensæ Episcopalis.*

MCCCCLVI.

380

Anno Domini MCCCCLVI. Præsentibus Presbit. Petro Paulo de Pelatis Rectore Ecclesiæ Rufiglioni, cum per Ven. Doctorem Sismundum de Sismundis, & Melchiorum ejus fratrem, ac Antonium de Sismundis eorum patrum, heredes D. Bonifacii Episcopi Aquensis fratris dicti Antonii, & patrum ipsorum tradita fuerit in solutum D. Thomæ de Regibus Episc. Aquens. quædam domus in contrata Archivoti, cohærent via, & jura S. Caloceri pro ducatis CL. pro parte, videlicet ducat. CCC-LXIV. receptorum per præfatum quondam D. Episcopum Bonifacium Episc. Aquens. a quondam R. P., & D. Henrico de Scampis Episcopo Aquensi. Sub pacto facta fuit dicta datio in solutum ipsi Domino Episcopo, videlicet quod dicta domus venderetur, & ipsum precium dictorum ducatorum exponeretur in commodum, & utilitatem mensæ Episcopalis, ut ex instrum. an. MCCCCLII. Ecce, quod præfatus Thomas Episcopus cum consensu canonicorum eam vendit dicto Sismundo de Sismundis &c.

*Solutio MD. duc. auri ab Episcopo Aquensi facta pro redemptione castri Bestagni.*

MCCCCLVIII.

381

Anno Domini MCCCCLVIII., VI. junii in loco Bestagni coram D. Henrico Mastorgio de S. Stephano Belbi, Guliel. M. Montisf. Clavario, & citra Tanagrum commissario Nobilis D. Nicolosius de Gualco civis Januæ filius, & heres D. Inardi de Gualco confessus fuit se habuisse a R. P. D. Thoma de Regibus Episcopo Aquensis Ecclesiæ de propriis ducatis dicti Episcopi ducatos MD. auri pro redimendo villam, & dictum castrum Bestagni, quos ducatos facto computo repertus fuit ipsum D. Nicolosium habere debere a prælaudato D. D. Marchione pro obligatione D. Joannis Jacobi Marchionis Montisferrati ejus genitoris (1) facta dicto quondam D. Inardo de Gualco, atque ipso Nicolosio, ut patet ex litteris sequentis tenoris &c.

(1) Obiit Johannes Jacobus ann. MCCCXLV. XII. martii.

*Concessio Balnei conventui Fratrum Minorum.*

MCCCCLVIII.

382

Die IV. octobris, anno MCCCCLVIII. In civitate Aquis, in palatio dictæ civitatis, in consilio ubi aderant ultra quam duæ partes dictorum consiliariorum sono campanæ, & voce præco-